



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. Proponitur status Quæstionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

vel ut eadem Feria sexta, seu alio die semel in hebdomada jejunetur. Ita Ludov. à Cruce. *ibid.*
 22. Jejunium in pane, & aqua rectè commutabitur in recitationem integri Rosarii genibus flexis, addita oratione corporis: vel in elemosynas competentes, vel melius in confessionem, & communionem. Ita Bardi in exp. Bull. Cruce. p. 2. r. 73.
 23. Elemosyna commutetur in servitium in Hospitalibus, quot judicantur sufficientes ad compensandam quantitatem Elemosynæ promissæ. Ita idem *ibid.*
 24. Confessio, & Communio in actum contritionis, vel amoris Dei, & jejunium, addita recitatione Rosarii, vel Coronæ Virginis. Ita idem *ibid.*
 25. Celebratio Missæ in Communionem, in recitationem Officii, vel coronæ Virginis; vel in elemosynas, vel in jejunium. Ita idem *ibid.*

VII. An facta commutatione, vel etiam dispensatione, liceat redire ad prius votum?

Facta per legitimam jurisdictionem commutatione, contingit prius votum. Ita Sanchez. l. 4. c. 5. n. 42. quia commutatio est translatio in novam materiam, & prius extinctio. Hinc, si subrogata materia sit inutilis, vel impossibilis etiam culpa ipsius votantis, (qui subrogatam eandem materiam omiserit cum peccato, juxta Ludov. à Cruce de Bull. Cruce. d. 2. c. 6. dub. 16. n. 12.) non obligatur votans ad redeundum ad prius votum. Ita Sayr. Sanc. Suar. Laym. apud Casti. d. 2. de voto, p. 2. n. 2. Commutatur, v. g. oratio S. Ignatii promissa, in jejunium ejus vigiliæ: si in vigilia propter infirmitatem jejunare tibi non datur, vel cum peccato non jejunasti, ad orationem non teneris, quia votum de oratione jam extinctum per commutationem fuit. Idque locum etiam sortitur in commutatione votum sæculi, quæ sit vi professionis Religionis. Sic Casti. *ibid.* num. 3. quodque negent Vivald. in Cam. del. 3. p. c. 24. n. 28. Graff. p. 1. de off. lib. 2. c. 3. n. 3. Jquare, si in sæculum sine culpa, et dispensatione pontificis redeas, ad vota sæculi non teneris cum culpa, vide *supra*. c. 2. §. 3. n. 5.

2. Si dispensetur, vel commutetur ad tempus tuum votum per subrogationem alicujus operis, teneris (si finito tempore, votumque iterum redeunte) ad illud opus subrogatum; v. g. dispensat Pontifex tuum votum Castitatis ad effectum nubendi, subrogatque jejunium singulæ hebdomadæ, si moratur uxor, adeoque ad votum castitatis redeas, obligaris ne prosequi jejunia, posito, quod in Brevis commutationis Pontifex neque dixit, neque negavit jejunia debere esse perpetua.

3. Respondet Sanchez. lib. 4. in dec. c. 55. n. 21. quævis in commutatione aliorum votorum te non obligat ad dictam perpetuitatem; te tamen obligat in commutatione prædicti voti castitatis: quia tenor Brevis Pontificij videtur eam requirere. Sed certè probabile est cum Castro Pal. de voto, cap. 18. num. 6. te non obligari, quia cum redeat prioris voti obligatio, longè est à benignitate Ecclesiæ, ut remaneant opera subrogata, gravaretur enim duplici onere votans, altero voti, altero operis subrogati. Facta commutatione à Pontifice, v. g. jejunium, ad effectum matrimonij ineundi: an obligatio jejunandi incipiat, antequam ineatur matrimonium; vide quod Sanchez. lib. 4. in Dec. c. 51. n. 21.

Verum, an Pontifex pro semper tibi dispenset in voto, v. g. Castitatis, dum nullam aliam strictiorem clausulam apponens, dicit (*pro hac vice*) & sic intelligatur, pro hoc voto, atque adeo absolute, vel mortua una uxor, possis aliam ducere? Vide apud eandem Sanchez. lib. 8. de matr. d. 31. Basilium Pontium lib. 8. matr. cap. 20. Summam Dianæ v. Dispensatio. n. 13. id tanquam probabile judicantem.

4. His præmissis, venio ad difficultatem in titulo præpositam, an scilicet impetrata dispensatione, vel commutatione voti à Superiore, liceat votanti negligere

materiam subrogatam, & sequè subjicere iterum prior voto? Dico cum Laym. lib. 4. tr. 4. cap. 8. n. 27. Sanchez. l. c. n. 26. licere, si res subrogata sit minor, si major, si æqualis, (quamvis, si sit major, neget Suarez lib. 6. de voto cap. 2. d. n. 4.) idque quoties votans, voluit. Ratio est, quia tamen ex benigno, & interpretativo consensu benignissimi Dei, qui est creditor Voti, & ut Fideles ad votandum alliciantur, præsumimus hanc libertatem nobis Deum concessisse. Hinc etiam sequitur (inquit Lessius lib. 2. c. 5. dub. 16. in fin. 1. in 2. editione) si sæpius facta sit commutatio, possit servari quidvis illorum, in qua facta fuit, v. c. 9. votum peregrinationi, annua commutatum est in mensuatam confessionem, mensua confessio in jejunium hebdomadæ, jejunium hebdomadæ in certas preces quotidianas; potest votans satisfacere voto, vel prece, vel jejunio, vel confessione, vel peregrinatione hæc ex Lessio.

5. Hactenus dictum est de Commutatione impetrata à legitima jurisdictione; nunc de eadem dicamus, quando fuit facta propria auctoritate votantis.

Si commutasti votum tuum in majus, vel æquale, & hoc implesti, non teneris amplius redire ad prius votum; quia jam satisfactum est Deo, ut ex se patet. Ita Ludov. à Cruce. in exp. Bull. Cruce. d. 1. c. 6. dub. 16. n. 2. Si commutasti in minus, & hoc item implesti, teneris supplere, quod deficit, vel si id nolis, poteris reassumere prius votum. Quod si rem propria auctoritate subrogatam, v. g. jejunium subrogatum Rosario non implesti, distinguendum erit. Si enim res subrogata fuit, vel major, vel æqualis potes, quod tibi libuerit, exhibere: v. g. in dicto exemplo, potes, vel Rosarium recitare, vel jejunare. At si res subrogata minor fuit, tunc vel addendum aliquid, quo pertingatur ad æquale, seu majus, vel prius votum erit assumendum: patet hæc ex dictis.

6. Denique, si materiam subrogatam, v. g. jejunium exhibere non potes, potes autem prius votum v. g. in dicto casu Rosarium, certè obligaris redire ad Rosarium, hoc est, ad prius votum, si ad majus, si ad minus, si ad æquale fuerit facta à te commutatio. Colligitur ex cod. Lud. à Cruce, l. c. Ratio est, quia per commutationem propria auctoritate exhibitam, non transfertur vinculum ad rem subrogatam, sed solum per æquipollens satisfactum benignissimo Domino. Cum igitur ipsi satisfieri per materiam subrogatam, quæ tibi impossibilis, vel inutilis est reddita, jam non posse supponas, consequenter sequitur urgere vinculum voti, quod à suo robore per tuam commutationem nunquam cadit, quod tamen cecidisset, si per legitimam jurisdictionem concessa fuisset commutatio, ut *num.* 1. didicisti.

An peccet contra Votum, qui neglecto Voto commutato, negligit & materiam subrogatam? Dixi *supra*, c. 7. §. 5. num. 1.

CAPUT XVII.

Consilium de quadam Voti Commutatione.

1. Interrogatus, dum hæc scriberem, de cujusdam voti, Iac. Iuramenti Commutatione, aliqua dedi, quæ non parum erunt accommodata, ut magis, magisque confirmantur, lucetque majorem nonnulla hæcenus allata concipiant, nam propterea labori eadem exscribendi, in Lectorem gratiam, hic non parcam.

§. I. Proponitur status Questionis.

1. Pater Bernardinus à S. Stephano, antequam suam, apud Minores de observantia professionem emitteret, legavit uncias centum monetæ Siculæ, id est, seu ducenta

ducenta supra quinquaginta annuatim solvenda quibusdam puellis Monialium itatum suscepturis. His verbis:

Item voluit dictus donator. P. Bernardinus quod quoad partem unciar. centum rendalium de summa dictorum reddituum liberorum, ut supra donatorum Hospitali magno hujus Civitatis Panormi, quolibet anno dentur, & dotentur pro Monachatu illius personae eligendae per praedictum Patrem Bernardinum, quae debeat se monachare, & professionem facere in aliquo Monasterio, & mortuo dicto Patre Bernardino, vel etiam eo vivente, dicta electio fieri debeat ab illa persona declaranda, & nominanda per ipsum Patrem Bernardinum per acta publici Notarii, itaut persona eligenda pro dicto Monachatu sit virgo nobilis, etatis annorum sexdecim completorum, pauper, & orphana, periculosa, &c.

2. Post aliquot menses idem P. Bernardinus noddum eadem sua professione nuncupata, declaravit praedictam electionem expediendam esse per P. Provinciale Province Siculae pro tempore existentem: & insuper voluit, ut idem Provincialis praedictam dispositionem de puellis monachandis posset in aliud opus pium, quod, ipsi libuerit, commutare. Haec sunt verba dispositionis.

P. Bernardinus à S. Stephano praesens coram nobis, &c. omnem potestatem sibi reservatam valendi eligere, ac nominare, &c. dedit, & Reverendo P. provinciali Ordinis Minorum de observantia hujus Provinciae, praesenti, vel qui pro tempore erit in posterum, qui ea omnia praestare possit, quae posset ipse P. Bernardinus, addita amplius potestate, quae P. Provincialis dictus possit eandem potestatem eligendi, & nominandi, alteri personae tradere. Quod si idem P. Provincialis praesenti, vel pro tempore existenti videtur obsequium fore Dei, commutare dictum legatum in aliud pium opus: in eo casu dictus P. Bernardinus, at omnem illi auctoritatem, ac potestatem, quam ipse P. Bernardinus habet valendi commutare dictum legatum, in praedicta donatione irrevocabili factum, &c.

3. His duabus dispositionibus se habentibus, intendens in praesentia P. Bernardinus ad majus, praestantiusque Dei obsequium, instat apud P. Provinciale, ut is commutat legatum pro puellis monachandis in aliud opus pium, nempe in augmentum Missionum inter Infideles, & Turcas, in quibus Sacerdotes nonnulli maximo Christianorum ibidem degentium bono pro Religione Catholica in utroque ritu Latino, & Graeco laborant, & laborabunt plures, majorique securitate, ac stabilitate si hujus subdij accessu fundatio earundem Missionum confirmetur.

4. Ut ordine procedamus, tria in hac difficultate sunt disputanda. Primo, an potuerit P. Bernardinus per posteriorem dispositionem allatam *num. 2.* transferre in P. Provinciale potestatem commutandi legatum, quod juramento confirmavit in priore dispositione allatum. *num. 1.* Quod est idem, ac quaerere, An P. Bernardinus, constanter priore dispositione habuerit potestatem illud legatum commutandi? Si enim ipse ea potestate gaudebat, cum quilibet rei suae, suorumque jurium sit Dominus, & dispensator: sine controversia consequitur potuisse illam P. Provinciali communicare.

Secundo, An valde jam concessa hac facultate, inculpatè uti, & legatum in praedictum opus licitè possit P. Provincialis commutare?

Tertio, An & congruenter?

Addam quarto ad uberiorem doctrinam, an quod nunc possit P. Provincialis, possit & P. Bernardinus?

§. II. An P. Bernardinus potuerit legatum à se factum in aliud opus pium commutare, unde & eandem potestatem P. Provinciali delegare?

5. **P**raemittendum est, priorem dispositionem, cum fuerit directa ad virgines pauperes dotandas,

etque consecrandas, nihil aliud reipsa fuisse, nisi votum Deo nuncupatum; & quia fuit juramento vallatum, appellari possum à Doctoribus votum juratum, seu quia solum hic apparet juramentum, voto saltem explicito non adherens, sed per se stans, vocati communiter juramentum pium. Quamvis enim verba sint directa ad ipsas puellas (dantur, & dotentur pro Monachatu personae eligendae, &c.) tamen clare apparet ex fine disponentis totum id fuisse dispositum in honorem Dei, cum nuncupatur praesumptum quis velle inopes alere, & pro Monachatu dotare, nisi intuitu virtutis misericordiae, Charitatis in proximum, Religionis in Deum. Et quidem rectè, docent Cajet. in his quodlibetis, tr. 1. quae est de voto, q. 3. & Suarez 1. 2. de Relig. tr. de voto lib. 6. c. 15. n. 2. promissionem soli Deo fieri, an etiam homini, pendere ex votantis intentione: At P. Bernardini intentionem fuit solum, Deo se gratum per eam dispositionem exhibere, & nimis clarum est, cum cetera sua bona in similia opera pia, ut Deo se expeditius in Religione consecraret, tunc distribuerit: & ipsi nec nunc vivens diserte id ipsum asseruit, licet taceat adfuisse minus principaliter aliquem respectum ad dictas puellas, praesertim suae familiae, quae erant aliis praeferenda: id quod nihilominus nobis nihil obstat paulo post videbimus.

6. Quod autem hujusmodi jurata dispositio, seu intentionem pium sit censendum votum, seu voti omnino naturae particeps, docet his verbis Sanchez, lib. 3. in Dec. c. 19. n. 2. Dicendum est, eos omnes, qui potestatem habent irritandi vota subditorum, posse juramenta de istis rebus Deo prestita irritare eodem prorsus modo, & in eisdem casibus, in quibus possunt & vota. Ducor, quod hujusmodi juramenta, induant voti rationem; & ita cap. 30. Nam equa facultas tribuitur Patri, & marito relaxandi vota, & juramenta atque idem docet S. Thom. D. Antonius, Sylvest. Armilla, Taberna, Sotus, Aragonis, Alcezer, Azor, Toletus, Sa, Ledesma. Haec Sanchez, apud quem horum Doctorum loca videre poteris.

7. Atque his velim addas Ludovicum à Cruce in exp. Bullae Cruc. d. 1. cap. 6. dub. 5. n. 10. qui loquens de juramento pio, quale est illud, de quo agimus, sic habet: Nec intendo solum potestatem ordinariam circa vota extendi ad juramenta pia, sed idem sentio etiam de potestate delegata, ex duplici ratione. Primo cum juramentum ordinatur ad Deum duntaxat, perinde reputatur ac Votum, unde sub nomine Voti solet juramentum comprehendere; & e converso, praesertim juxta communem loquendi modum. Atque ideo Canonista interdum asserunt hujusmodi juramentum esse, Quoddam votum. Ita Abbas, cap. 6. verò, de iurejurandis. & D. Antonius 2. part. tract. 11. cap. 2. §. 2. inquit: Juramentum promissorium de iis, quae pertinent ad Dei honorem, includere votum. Hinc autem in communi estimatione tale juramentum quomodocumque fiat, pro voto reputatur, & sub ea voce comprehenditur: ita ut votum sic generatim sumptum, significet debitum voluntarie contractum ex Religione ad Deum. Haec Ludovicus.

8. Praemittendum est secundo, Dispositionem praedictam P. Bernardini ex ea parte, quae minus principaliter respicere illas puellas facti sumus non multò antequamquam fuisse ab ipsis acceptatam, nec ab alio pro ipsis. Pater id primo, quia nec in dispositione allata *num. 1.* & 2. id apparet, nec invenitur alibi. Secundo, quia, cum haec dispositio non fuerit directa ad personam certam, & individuant, sed ad puellas illas in communi, non potuit ab aliqua ex ipsis acceptari, &c.

9. His tanquam firmis jactis fundamentis, Dico primo, P. Bernardinum semper potuisse praedictum votum, seu juramentum pium de dotandis ad Monachatum puellis commutare in aliud pium opus melioris, immò equalis bonitatis, &c.

Quod poterit in melius probatur: quia Vota quaecumque jurata, & juramenta pia, etiam per se stantia, Deo principaliter praestita: possunt ab ipso votante, seu jurante propria auctoritate in opus melioris bonitatis commutari,